

V. Hosius episcopus dixit: Ut, si unus episcopus remanserit in provincia et his^a admonitus aut^b rogatus noluerit, ubi deest, episcopum ordinare, de vicina provincia alii qui sunt ordinent episcopum. Et ut non in locis minimis et abiectis episcopi^c ordinentur^d.

VI. Hosius episcopus dixit: Ut, abiectus^e episcopus^e si vult^f causam iterare ad Romanum episcopum, liceat ei^g.

VII. Hosius episcopus dixit: Ut non sint inportuni episcopi ad comitatum^h, sed aut invitati ab imperatore vadant aut pro grandi causa misericordiae.

VIII. Hosius episcopus dixit: Ut ad comitatum mittant magis *quam vadantⁱ aut certe scribant ad amicos *f. 36a. suos potentes.

VIII. Alipius episcopus dixit: Ut pias intercessionem agant, et ipsas utinam non per se, sed magis per destinatos^k.

X. Gaudentius episcopus dixit: Ut poena statuatur non servantibus decreta concilii. Et inquirat episcopus in^l sardinali^l (!) ab eo, qui ad comitatum vadit, qua pergat ex causa. Ut^m, si notabiliaⁿ invenerit et probatum^o (!) non potuerit retorquere, neque communicet ei.

XI. Hosius episcopus dixit: Ut prius decreta audiat unusquisque et ita demum, si non servaverit, damnetur. Et ut mittat, si opus est, non vadat ad comitatum.

XII. Hosius episcopus dixit: Ut^p de laicis vel^q divitibus aut de neophitis postulatus episcopus non prius ordinetur, nisi a lectore^r in ecclesia coeperit militare.

XIII. Hosius episcopus dixit: De alia civitate episcopus non diu mo*retur^s in alia, id^t est ut a^t sua *f. 36a'. ecclesia non ei plus^u abesse liceat quam tribus dominicis diebus.

XIII. Hosius episcopus dixit: De episcopis, qui alibi constituti sunt et alibi possessiones habent, quid debeant observare.

XV. Hosius episcopus dixit: Ne abiectum quemquam ab alio episcopo episcopus^v recipiat alius.

a) 'is' D. b) 'ac' D. c) 'episcopus' D. d) 'ordinetur' D.
e) abiectus episcopus] 'abiectis episcopis' D. f) 'volunt' D. g) om. D.
h) 'ire' add. D. i) 'episcopi' add. D. k) 'destinatos' D. l) in
sardinali] 'qui est in canali' D. m) 'et' D. n) 'notabilem' D.
o) 'prohibitum' D. p) om. D. q) 'et de' D. r) 'prius' add. D.
s) 'immo' D. t) id ē ut a] 'destituta' D. u) 'amplius' D.
v) 'episcopus' D; 'epis' F.